APOLOGETICON
DOMINI LUDOVICI DE GAND,
Domini de Brachey, & de Romecour.
Pro Seipsô.

AD

Sereniſſimæ Reipublicæ Angliæ

PARLAMENTUM.



Vana ſunt mortalium omnium conſilia, nullaquè humana felicitas eſt diuturna, hanc niſi DIVINA PROVIDENTIA confirmaverit Natal. Com. Hiſt. l. 25. *Quæ autem DEUS decrevit, nullatenùs probiberi poſſunt.* Procop. de. bel. Vand. l. 1.

LONDINI
Ex Typographiâ. R. I. 1659.

6 45



APOLOGETICON
DOMINI LuDOVICI DE GAND,
Domini de Bracbey, & de Romecour.
PRO SEIPSO,
AD
SERENISSIMÆ REIPUBLICÆ ANGLIÆ
PARLAMENTUM.



DUo sunt, *ÆQUISSIMI PROCERES*, quæ vestrum omnium iracundiam in me, vindictamquè concitare possent: Si juxta multitudinis imperitæ consuetudinem, per furibundum cæcæ mentis impetum, ad ferendam majoris plerumque momenti de rebus sententiam, sine prævió discursu, sinequè multiplici rationum variarum examine, vosmetipsos abripi sineretis.

Primum est, ut ingenuè fatear, quodam in opusculô *Commendatio CAROLI Primi Serenissimi magnæ Britanniæ REGIS ultimi*, quod in ipsius gratiam sub nomine *SOLIS BRITANNICI*, octodecim abhinc annis â me typis excusum novit orbis univer[illegible] Alterum est *OLIVARII PROTECTORIS Encomium*, quod justô volumine cum *OLIVÆ* Parallelô, tribus ante ipsius obitum annis in lucem edidi.

Quæ duo cur â me conscripta fuerint cùm vobis aperuero, sic *INNOCENTIÆ* causæ meæ, sic justitiæ Pru-

dentiæquè vestræ confido, ut non modò nihil â vobis mihi timendum ob id putem, sed potiùs *exquisitum præmium aliquod, & plurimis impensis meis, & nocturnis elucubrationibus, & multis aliis, de quibus alibi, nominibus etiamnum mihi debitum*, â vobis concessum iri certô certiùs existimem.

Videte quàm non reformidem, videte quanta lux liberalitatis, honestatis, & sapientiæ vestræ mihi ad vos scribenti palàm oboriatur: Utinam me penes esset purioribus utrumque factum hoc meum depingere solis radiis, ut in utroque *INNOCENTIÆ* meæ splendor eximius non vestros solùm, sed et totius orbis perstringere posset oculos.

PRIMUM aggredior. Exquò hanc appuli regionem circitèr novendecim abierunt anni, cujus temporis Epochâ priore in ipsomet *ANGLIÆ* portu dictô *RYE*, â tribus *DUNKERKÆ* prædatoriis navibus, spectantibus testibusquè tùm proditore *Navarchô*, tùm *Anglis* benè multis, maxima pars eorum, quæ mecum ex *Galliâ* licuit advehere, est â me per vim, contra jus Gentium erepta.

Per id tempus *Augustissimus Potentissimusquè CAROLUS REX*, solus pacificè tenebat *Angliæ* gubernaculum, nullô tùnc sedente *PARLAMENTO*, nec ullâ belli suspicione tùnc existente. Ego ignarus hominum, locorum, consuetudinum, â *Piratis* rebus ferè omnibus noviter exutus, quod in pari sine dubiô casu vir sanæ mentis quilibet efficeret, quâ solâ poteram relictâ mihi ratione, *Magistratus Supremi*, *REGIS* duntaxat favorem, scriptô in ejus honorem libellô, quô mihi faciliùs restitutio parari videretur, comparare conatus sum.

Hìc vos appello *JUSTISSIMI PROCERES*, quænam sit vestra mens, quis sensus, quæ cogitatio? Nùm superioribus ita positis, possit quispiam non omninò mente

te

te captus, vel cum minimâ rationis umbrâ, *SERENISSIMAM* hanc in *REMPUBLICAM* vestram, *(quæ præterquàm in IDEA DIVINA nullam tunc temporis aliam haberet existentiam)* insimulare me peccati, criminis, culpæ vel levissimæ?

Huc accedit, quòd cùm paulo pòst vos in supremis *Angliæ COMITIIS*, in quibus istius *Insulæ* jus summum resideret, sedentes animadverterem, ad vos per libellum supplicem, quô justitiam ab *Hispanis* obtinere mihi liceret, seriò memetipsum applicuerim. Quem libellum *Extraordinarius REGIS CHRISTIANISSIMI LEGATUS MARCHIO DE LA FERTE IMBO, nunc MARESCHALDUS D'ESTAMPE, plurimùm mihi colendò Militi Domino HENRICO MILDMÆO* ex vestris uni, legendum in *COMITIIS*, ipsemet ad illum meâ solius causâ profectus, obtulerit.

Quô in libellô præter inauditam *Dunkerkæ Prædonum* audaciam; Præter illatam hâc suâ exercitâ vestrô in portu *Piraticâ*, non mihi solùm, sed & *Anglis* omnibus injuriam; Præter multos eâ de re testes idoneos, & quidem *Anglos*, qui eâdem navi mecum vecti fuissent; Præter ea inquam omnia, ut *INNOCENTIA* mea magis ac magis innotescat, vos ipsos monebam eâdem in meâ ad *PARLAMENTUM* supplicatione, quæ vestrum singulis typis excusa donata fuit, quâquè vos citiùs ad jus meâ causâ dicendum moverem, monebam inquam in *REGIS* honorem necnon *Angliæ*, opusculum â me nuper in lucem editum esse.

Adde, quòd cùm (*posteaquàm meum hoc in Hispanos negotium, & in COMITIIS, & in Thalassiarchiâ Admiraliumvè curiâ diu prosecutus essem*) tandem *Archithalassus Angliæ plurimùm honorandus NORTHUMBRIÆ COMES Represalium* mihi literas annuisset: Atque ad instruendas in *Hispanos* naves bellicas, agnoscerem impa-

res esse mihi vires, ex amicorum consiliô, aliam recuperandorum meorum aptiorem opportunitatem expectandam esse ratus, per aliquot annos, vitatô *Gallorum Scholariumquè* consortiô, quorum passìm uterer hìc idiomate, in *Suriâ* linguæ vestræ perdiscendæ gratiâ degere statuerim.

Unde â multis *Parlamentariis*, *Parlamentiquè* delegatis, qui tùnc illìc essent *IRENARCHÆ*, hoc retuli testimonium, quod etiamnùm vernaculâ regionis istius linguâ penes me videre possitis, propriis *Domini Militis ELYOTT Suriæ Legati* manibus, suôquè necnon suprà laudatorum chirographis sigillatim subscriptis, eleganter exaratum, quô me vobiscum fecisse, nec â *PARLAMENTO* defecisse, luce meridianâ clariùs apparere potest.

Whereas Mounsieur LEWIS DE GAND, **of an antient discent in** France, **and a Gentleman very well learned and approved of, for his civil, discreet, and honest conversation, having lived amongst us for the space of three whole years, and being now to leave this County of** Surrey, **desireth our certificate,** Wee the Deputy Lieutenants, and Justices of Peace of the aforesaid County of *Surrey*, **do certifie on his behalf, that for his good affection to the** PARLIAMENT, **hee hath given a general good approbation amongst us, and for his disposition, and singular good endowments, is worthy of very good employments, and extraordinary favours, which wee attest under our hands at** Guildford, &c.

Præterea ut multa similia virorum illustrium de me testimonia, quæ si ferat occasio proferre possim, missa faciam, noverunt ex vestris plurimi, atque adeò præ cæteris multùm *honorandus Prolocutor Dominus LENTHAL*, quòd diuturniori civilis vestri belli tempore, neglectis meis ipsius, ut *DUCIS GUELDRIÆ* vobiscum negotia

tia peragerem, *PARLAMENTO* ſemper adhæſerim; Cumquè *REX* aliquando quaſi captivus eſſet *Hamptoniæ*, impetratâ â *PARLAMENTO* veniâ, illum actutùm adierim, ubi generoſus non ignobilis de me benè meritus Dux *ANTHONIUS MILDMÆUS*, *REGI* tùnc â *COMITIIS* conſtitutus *Oeconomus*, pro me *REGIS* cuſtodibus iiſquè Parlamentariis *honorem proprium, fortunas, vitamquè ipſam*, ſi contra *PARLAMENTUM* moliri me quidpiam uſpiamvè contingeret, oppignerare nequaquam dubitavit.

Quô inſuper in caſtellô per multos dies acriùs ſæpè cum *REGE* diſputantem, quoad dicti Principis abſolviſſem negotia, ex veſtris vidêre me audierequè plurimi, atque adeò (*ut nihil hìc ego dicam de Nobiliſsimô HEROE, Milite Baronettô, Conciliiquè ſtatus digniſsimô nunc Præſide, nunquam antea mihi cognitô, ſed de me poſteà meritô quàm optimè, quem tantum hìc honoris cauſâ nomino DOMINO JACOBO HARINGTON*) *LEGATUS* tunc temporis exercitus *STRATEGUSVE CROMWELLUS* audiit me ſemel *REGI*, fateor nimis audacter, opponentem, quòd non multùm validá cum ratione contra *DUCEM GUELDRIÆ* ſtaret ab *Hiſpanis*, meliùs procul dubiô cum illô jamdudùm actum eſſe, ſi tandiu non faviſſet illis, illis ſe debere, ex intelligentium omnium conſenſu, quòd in tales jam redigeretur anguſtias. Ad quod cùm *REX* velut irâ percitus, bacillô canem indicaſſet, neque ſe plùs *Hiſpanos* curare quàm vicinum *Canem* elatâ voce contendiſſet, paululùm faciem avertens ſubriſit *CROMWELLUS*.

Cumquè urgerem ulteriùs animoſè, periclitari maximè *REGIS* honorem, ſi mei Principis optatis non annueret; Quippequi ſanctè ſe recepiſſet, teſtibus Dominò *Digbæô*, multiſquè aliis *Angliæ, Scotiæquè Nobilibus*, ſe quod jam ab eô ſubmiſſè peterem, præſtiturum; Regum

gum autem promissa sancta, irrevocabilia, inviolabiliaquè esse oportere; In ore ferè omnium tamen hìc esse, nullam promissis ipsius haberi posse fidem: Quòd putarent *ultramarini* hoc ipsum suis â subditis, ut eum vocarent apud omnes in invidiam, confictum esse. Nunc verò si promissa *Principi* meo dudùm â *Majestate suâ* pacta condictaquè, jamquè ferè per totum *Christianum* orbem ab illius *Ministris* ubique divulgatâ, non impleat, fore ut totus *Christianus orbis*, cum honoris *Regii* certissimâ jactura, ad subditorum ipsius opinionem, sine ullâ dubitatione, actutùm accedere quamproximè videatur. Putarem autem hæc ideò me loqui liberiùs oportere, qui cum in *REGIS* honorem librum edidissem, optarem honoris *Regii* meiquè supra modum cupidus, meam in mercedem, quam â *REGE* solam expectarem, saltem efficeret, ut falsa de *REGE* scripsisse, me posthàc damnare nemo valeret. Ad quæ *REX* seipsum colligens, ait sperare se, ut operis in ipsius gratiam â me conscripti, nunquam me pudeat, pœniteatvè. Cæterùm dextrâ percussô femore promissis stare se velle audiente *CROMWELLO*, non modò verbis innuit, sed & reipsâ datis ad *Principem* meum, quas & quâ formâ cupiebam epistolis, satis apertè probavit.

Quam Sermocinationem cum *REGE* meam cùm præsens accepisset *CROMWELLUS*, colloquiisquè nostris sæpius interfuisset, ubi ad *PROTECTORIS* dignitatem postmodùm evectus est, eam *Principis* mei negotiis non modò nihil obfuisse, sed profuisse non mediocriter, opportunè, suô loco, & tempore sum ipsemet expertus. Licet enim perduellis, capitalisquè *REGIS* hostis is esset, quod *Anglorum* nemini jam obscurum est, nunquamquè quievisset anteà, quàm ab illius cervicibus caput amputasset: Attamen eos omnes tanquam *invidos, adulatores, calumniatores, insulsosquè* summopere despexit, qui propter

ret exaratum â me suprà laudatum libellum, *REGIS, Regiaquè partis fautorem* apud ipsum accusare me, famamquè idcircò meam maledicô dente rodere præsumerent.

Enimverò perbellè notum erat illi, hoc opusculum (*cui & exemplar illius unum obtulissem*) antequàm vel esset ulla belli suspicio à me compositum, neque me *arma Regia, Regiasquè Partes* unquam secut um esse, & quamvis belli tempore sæpiùs consuetudine *REGIS* usus essem, nunquam tamen sine veniâ *PARLAMENTI*, immò nec sine testibus illius quidquam apud *REGEM* aggredi voluisse.

Quamobrem in domô *PROCERUM* publicè me non mediocriter laudavit illorum tunc temporis *Prolocutor Dominus MANCASTRIÆ COMES honoratissimus*, â quibus cùm adeundi *REGIS* facultatem exposcerem, chartasquè illis, sub *sigillô volanti* ut vulgò dicunt, meas omnes, totumquè negotium, quod mihi cum *REGE* in mei Principis gratiam futurum esset aperuissem, indicassemquè nolle me, nec invitis illis cum *REGE* colloqui, nec nisi præsentibus *PARLAMENTI*, qui *REGIS*. comites essent, subdelegatis, quiquè si videretur, *REGI* forent *EMANUENSES*, ut Principis mei literis responsum, quod in meô reditu PARLAMENTO patefacerem, referre possem; Hoc unum curare me maximè, ut nullam vel minimam, quasi me negotiis illorum implicare vellem, suspicandi rationem offerrem PARLAMENTO: Me inquam ideò palàm in COMITIIS plurimùm commendavit MANCASTRIÆ COMES, veluti generosum ingeniô, judiciô, ratione, honestateque multâ nobilitatum.

Nec tantùm in PROCERUM, sed & in COMMUNIUM domô sæpè mei Principis, præsertim verò semel, strenuè admodùm causam egi: Nam cùm *Haberdashers-Hall* ut vulgò vocant officiarii, audissent aliquando

GUELDRIÆ DUCEM, qui venisset in *Angliam*, ingentes secum detulisse thesauros, ut contra COMITIA REGEM adjuvaret, illicô numerosô cum milite in plateâ dictâ HOLBORNE, per vim revulsis â cardine fractisquè ariete subitò prioribus januis, domum illius aggrediuntur, sed ejusdem domesticis strenuè se defendentibus non ingrediuntur. Unde per quatuor dies duravit obsidio. Jamquè ad tormenta bellica ventum erat, cùm ego rure tùm rediens, atque de iis quæ tunc illìc gererentur certior factus, illuc festinanter accurri, impetratâquè, sed ægrè admodùm, ab obsidentibus veniâ, qui mihi causam tanti tumultus aperuissent, PRINCEPS obsessus ad fenestram apparuit, atque renitentibus, avidis prædæ duntaxat, obsidentibus iisdem, ad COMITIA me quumprimùm ablegavit.

Ubi cum Dominum LENTALL Prolocutorem eâ de re nomine PRINCIPIS essem allocutus, statutum est â COMITIIS ut omnis cessaret hostilitas, quoad de re totâ cognovisset, decrevissetquè PARLAMENTUM. Intereà testibus ad minimùm quinque virorum millibus, qui eventum rei præstolantes, thesaurorum illinc abripiendorum gratiâ, dictam domum confertim circumstarent undique, totum partis utriusque negotium sic amicè, neque domum ingressus, publicè composui, ut satisfactio & honor esset tùm *PARLAMENTO*, tùm *PRINCIPI*, qui deinceps me liberatorem suum, vitæquè suæ conservatorem, quandiu vixit, eam ob rem appellavit.

Porrò Dominus *STROUD* è *COMITIIS*, equê præcipuis *Haberdashers-Hall* â *PARLAMENTO* delegatis officiariis unus, prudentiam meam coram plurimùm mihi necessariô *Dominô SIMONDS DEWES Milite Baronnettô*, nonnullisquè aliis Parlamentariis sic extulit, ut eapropter multô pudore suffunderer. Immò *PARLAMENTUM* ipsum paulopòst quadraginta vini tunnas annuatim

nuatim sine ullâ consuetudine, vectigaliquè persolvendô, dicto *PRINCIPI* decrevit, quô tamen honore, oblatôquè privilegiô nunquam est abusus, cum *Anglis* esse nollet oneri.

Multa prætereo, cùm plura jam quàm forte deceat hâc in priori *Apologiæ* meæ parte literis prosecutus sim, sum tamen istud aliquô modô necessarium arbitratus, ut mordaces, mendaces nonnullorum linguas refrænare, illisquè Epistomium injicere possem, qui sine ratione, sinequè ullâ rerum disquisitione, brutarum animantium ad instar, solô ferantur impetu, quosquè *Canibus illis Tullianis in Rosciô Amerinô*, non absimiles rectè quis judicare valeat, quibus licet dentur in fures cibaria, quoslibet tamen accedentes allatrant, cùm enim sint bestiæ, fures â furibus dignoscere nesciunt. Propterea *modò non mordeant*, illis per me quantumcunque libuerit, *sine crurum effractionis metu*, latrare permissis.

AD SECUNDAM interim *Apologiæ* meæ partem, quæ est de *Encomiasticô PROTECTORIS OLIVARII cum OLIVA parallelô*, festinanter accedam.

Accusabunt igitur me propterea. At qui? An *MILITES*, an *EXERCITUS*? Sed *OLIVARIUM* ad tam altam honoris apicem per illos evectum nemo non agnoscit. An *Angliæ CIVITATES, PROVINCIÆQUE* ipsæ? Et laureatos ad *OLIVARIUM*, gratulatoriosquè codicillos, undique missos ab illis apertè novimus. Quid? Num & ipsi, in quibus totum robur *Angliæ* situm est, cum *Dominô MAJORE* Civitatis, *SENATORIBUS, TRIBUNIS, urbisquè Conciliô*, per vicos & plateas, erectis hinc inde, ut *Regibus* assolet, repagulis, quæ tapetibus, societatibusquè Mercatorum primariis duodecim, earumquè vexillis mirandum in modum ornarentur, ad regale convivium, cum vocum instrumentorumquè generis omnis harmoniâ triumphantem *OLIVARIUM* deduxêre *LON-*

DINENSES? A JURISPERITIS dies fortè mihi dicetur ad PARLAMENTUM, apud quod de forô nonnulli me *rabulæ* proditionis reum ideò facere conabuntur. At reluctantem OLIVARIUM non PROTECTOREM, Sed REGEM esse eorum plurimi, iiquè non vulgares palam & apertè pro virili suâ parte contenderunt. Ab ECCLESIASTICIS periculum impendere mihi verendum esset, nisi ferè omnes illorum exedræ. PROTECTORIS laudibus identidem personuissent. An ad vos nomen meum deferetur ab ACADEMICIS? Neutiquàm profectò. Nam universitatis utriusquè lachrymæ, gemitusquè publici propter OLIVARII mortem, singularem scholarium omnium in illum affectum manifestè satis evincunt.

Quinam igitur arguere me jure possint, quòd laudibus extulerim OLIVARIUM? Certè si quiquam, vos ipsi PARLAMENTARII PROCERES. Sed eam quæso date mihi veniam, quam sceleratissimo cuilibet vel *Sycophantæ* nunquam abnuetis, ut in mei defensionem pro meipsô liberè cum omni tamen reverentiâ animiquè submissione loqui liceat. In eâ enim sum *hæresi*, ut meritò putem vosmetipsos, atque adeò solos, dicti criminis, si crimen appellandum est, accusandos esse. Nam nisi tantam dedissetis OLIVARIO potestatem, quantam nemini tribuit antehàc ullum *Angliæ* PARLAMENTUM, per quàm, ut nuper quidam scripsit *Anonymus*, gravem induxistis illum in tentationem, ad tantum honoris, dignitatis, potentiæquè culmen ascendere nunquam sine dubiô vel voluisset, vel si voluisset, nunquam valuisset. Unde per illius â vobis elationem, non tantùm vestra secuta est depressio, dissolutio, interruptio: Sed etiam per id primaria causa fuistis, cur illum *Milites*, *Exercitus*, *Provinciæ*, *Civitates*, *Jurisperiti*, *Ecclesiastici*, *Academiæ*, PROTECTOREM agnoverint. Indequè liquidò constat, si de quibus superiores ideò peccarunt in VOS aliquid,

inquè

inquè *REMPUBLICAM*, quòd inquam omnia illorum eam ob rem peccata in vos ipſos (*ignoſcite quæſo libertati meæ*) tanquam in manifeſtos illorum authores, refundi neceſsarium omninò ſit.

Ut autem aliquid de me non genericè, ſed privatim hanc ad rem eandem proferam in medium aliquid,aliud eſt *OLIVARIUM* evexiſſe, aliud evectum ſcripſiſſe: *VOS* evexiſtis, evectum *ego* ſcripſi. Jam verò *DEUM* homineſquè teſtor, ſi in horum alterutrô peccatum inſit, utrum ſit illud in evehente, aut in eô quì dicit evectum, atque adeò de totâ hâc controverſiâ vobis ipſis, *PROCERES ÆQUISSIMI*, ſapientiæ, juſtitiæquè veſtræ plurimùm confidens permitto judicandum; Si tamen priùs vos etiam atque etiam rogavero, tùm ut libertati pennæ meæ, quàm par ſit audacioris, condonare velitis, tùm ut nonnullas, quæ ad edendum in lucem parallelum *OLIVARII* cum *Olivâ* meum me peculiares excitarunt rationes, vel per tranſennam curſimquè legere nequaquam vos pigeat.

Nemo veſtrum ignorat, *PROCERES HONORATISSIMI*, me per multos hìc annos cum vix ferendô labore, difficultatibus immenſis, innumeris periculis, æreâ patientiâ, invictôquè prorſùs animô, egiſſe me *ſereniſſimi DUCIS GUELDRIÆ* negotia. Quæ ſupradicta cùm ſingulis penè diebus identidem mihi crearentur omnia, tùm ab *Hiſpanis*, tùm ab *Hollandis*, tùm ab utrorumque potentiſſimis hâc in regione factionibus, tùm ab iis quorum licet nihil intereſset, latrantes tamen alios ſine ullâ ratione, cauſæquè cognitione ſequerentur. Eapropter ubi *PARLAMENTUM* diſsolvit *OLIVARIUS*, eum ſalutatum ad Principis mei partes, tùm quia ſæpe meis cum *REGE* de illô colloquiis priùs interfuiſset in *Hamptoniæ* curiâ, tùm quia maturè conſideraſset veſtra in ejuſdem gratiam decreta, facile ſatis pellexi. Unde me *RESIDENTEM*

 ipſius

ipsius hìc agnoscens, se *PROTECTOREM* meum famulorumquè meorum, antequam *REIPUBLICÆ PROTECTOR* is esset, sub *propriô Chirographô*, *sigillôquè*, verbis amplissimis apertè declaravit, prohibuitquè quominùs quisquam vel mihi, vel meis, meis in negotiis esset remoræ, sed quocunque liberet, liceret sine obstaculô proficisci.

Quâ elatus fretusquè *PROTECTIONE*, quæ mihi velut impenetrabilis *ACHILLIS* esset armatura, mei *PRINCIPIS* hostes innumeros, valentissimosquè, qui nihil aliud mihi minùs palàm, quàm exilium exitiumquè minarentur, sic despexi, sic audacter adortus sum, sic fregi, ut irritis illorum conatibus, qui tantùm clanculùm, *ANDABATARUMQUE* more, clausis in me solummodò pugnare valerent oculis, nec cur se mihi quidem opponerent, ad suæ *CELSITUDINIS Concilium* publicè provocati, vix aperire possent, sic inquam illos omnes debellavi prostravìquè, ut de illis triumphantem posteà, vigintiquè comitatum curribus, quibus *lectissimi*, *ornatissimiquè vveherentur addicti mihi NOBILES*, tùm *LONDINENSIS* suspexerit civitas, tùm *ALBA AULA*, mihi cum *Magistrô Cerimoniarum*, *PROTECTORISQUE Nobilioribus* obvia, frendentibus eam ob rem hostibus meis, tam honorificè stipatum mirata fuerit.

Et hæc quidem prima *causa* est, quæ me ad Encomiis exornandum *OLIVARIUM* impulit, siquidem illius *PROTECTIONE* sic munitus, armatusquè, *PRINCIPIS* mei negotia, triumphatis hostibus illius, ad optatum finem perduxi.

Alteram ejusdem rei *rationem*, jam superiùs attigi, mei nimirum perquàm honorificam â *PROTECTORE*, qualis *publicis Potentiorum orbis Christiani Principum Ministris* fieri vulgò solet, receptionem. Ubì enim ad *CELSI-*

TU-

TUDINEM suam eô prorsùs habitu, de quô priùs, à *Magistrô Cerimoniarum* introductus ego sum, tantam ab eô sum expertus illìc humanitatem, benignitatem, reverentiam, ut totô tempore quô presente *Conciliô* suô mecum locutus est, præter suam in aliorum *Principum Residentibus* accipiendis consuetudinem, erectus semper, apertôquè capite steterit, meos comites sigillatim omnes salutarit, atque ut breviter complectar, abeuntem per suos *Nobiles*, *Cerimoniarumquè Magistrum*, quoad cum meis domum reveherer, honorificè prosecutus est. Cujus honoris â *PROTECTORE* mihi sic exhibiti, cùm *Mercurii Londinenses omnes*, qui singulis diebus hebdomadæ typis excuderentur, mentionem fecissent, eosquè cæterarum nationum secutæ fuissent *Gazettæ*, humanissimi Principis nomen ab orbe totô retulit *OLIVARIUS*. Hincquè in epistolâ paralleli mei ad illum dedicatoriâ, petitur unica hæc â me verbis ipsissimis, suâ de *CELSITUDINE* scribendi ratio (*tibi multâ duntaxat obstrictus humanitate.*)

Præterire non possum, quòd cùm in eôdem solenni cum *OLIVARIO* congressu, ut de multis aliis taceam, finem imposuissem orationi meæ, deductis cur ad illum *ablegatus PLENIPOTENTIARIUS* essem â *PRINCIPE* meô rationibus, meam ille præsente *Conciliô*, virisquè multis *sapientissimis* ita commendavit *Eloquentiam*, ut ab eô tempore quô lucis hujus usurâ frueretur, *Eloquentiorem* se neminem unquam audivisse, contradicente me licet, palàm & apertè contenderet.

Enimverò ut verum ingenuè fatear, licet aliquô modô cum modestiâ laudanti repugnarem, tam altas tamen egit in animô meô radices, tam celebris illius mei commendatio, ut ab illô, nisi par pari quodammodò retulissem, ratione nullâ potuisset unquam evelli, sic enim â naturâ constitutus ego sum, ut â quocunque vel humanitate vinci me maximè doleam, vinciri ferre nullô modô queam:

HO-

HONORE quippe ducar potiùs, quàm muneribus, pecuniis, aliisquè id genus similibus, quibus omnibus amicitiam metiri nunquam potuerim. Neque verò semel aut bis, sed multoties ipse me prædicavit, atque etiam coram viris, qui mihi retulerunt idem, *Nobilissimis*, *Eruditissimisquè*, sed præ cæteris *Pyladeâ mihi conjunctus amicitiâ supremi Judicis Angliæ Baronis ROLE filius unicus*, qui se diceret à *PROTECTORE*, laudum mearum præcone celeberrimô, sæpiùs accepisse, *DUCIS GUELDRIÆ RESIDENTEM*, *eloquentiâ*, *ratione*, *judiciô*, *eruditionequè mirandâ* sic præditum esse, ut *CYCLOPÆDIAM* absolvisse videretur. Quod quemadmodum sine ullâ vacillatione animiquè nutatione posteâ pro compertô nec hærens habui, mihi stimulus & calcar, quô citiùs incitarer, ut scriptô laudum ipsius magnitudinisquè propugnator acerrimus existerem, admotum ab eôdem procul dubiô fuit.

Atque ut perspicuum sit omnibus quàm rectè fuerim in hôc *Auguratus*, non ampliùs occultè per cuniculos, vel per ambages, sed tandem palàm ab iis sum ad id peculiariter invitatus, quibus si renuissem, deterius ob id certè mihi contigisset aliquid, atque ut reliqua sileam, pessimè audissem apud eos, apud quos antehàc optimè. Porro si rogata facerem, quandoquidem mecum faceret *OLIVARIUS*, â quonam mihi timendum ob id esset aliquid? Cum amplissimus aliunde mihi pateret sperandi campus; Atque *Anglos* ferè omnes animadverterem, præter admodùm paucos, qui mussare vix in *OLIVARIUM* etiam clanculùm remotis arbitris auderent, ita partibus illius adhærere firmiter, ut quamvis *REGES* omnes *Angliæ* prædecessores suos longè potentiâ gloriâquè superaret, conarentur tamen singulis illum diebus altiùs & altiùs evehere, ut *PRINCIPIBUS* orbis ferè omnibus esset ille terrori, qui per suos *LEGATOS* ideò certatìm vel amicitiam ejus, suorum conservandorum gratiâ, vel fœdus, vel protectionem in valentiores hostes expeterent. His

His ita constitutis, *cùm futura, quæ à solâ DEI voluntate liberâ pendeant â me nullô modô prævideri potuerint*, *OLIVARII* sum aggressus Encomium, in *SPEM* non diffiteor erectus non mediocrem, fore ut, *Vel*, ab *Hispanis* quibus bellum indixerat, erepta mihi pridem reddi curaret: *Vel*, ademptô subitâ morte *PRINCIPE*, cujus per multos hìc annos meis ipsius, nec vulgaribus impensis egissem negotia, ejus filium *GAVRIÆ PRINCIPEM*, qui in ære meô gravissimô eam ob rem esset, eôdem exsolvere se quapiam sibi notâ ratione satageret: *Vel*, ut similem mihi *tunnarum vini quantitatem*, quæ, sine *vectigalibus consuetudinequè*, *publicis Principum aliorum Ministris* concedi solet annuatim, quasquè vivente *PRINCIPE* meô majorem ob ipsius honorem de industriâ neglexeram, mihi eôdem mortuô reddi curaret; cùm plurimis eorum, qui tali gauderent hìc privilegiô, nullatenùs inferior haberi possem: *Vel*, ut *honorificum* saltem *officium* aliquod aut hìc, aut forìs per eundem mihi tandem consequi liceret.

Quæ cùm igitur ita sint, nemo certus sum quantumvis infensissimus hostis *OLIVARII*, ponderatis æquâ mentis lance rationibus meis, meum de quô sæpiùs hactenus culpabit scriptum, *licet idem in aliô probare non possit*, sed potiùs omnia meâ causâ benè cupiens optabit, ut â vobis *JUSTISSIMIS COMITIORUM PROCERIBUS*, qui *debita* persolvatis *OLIVARII*, mei pariter *honorificè* memineritis, siquidem ea quæ decreverat *suis mihi in honore debitis*, non vulgares ob impensas propter illum meas, *ut cætera prætermittam*; cum eôdem pariter interierint.

Quapropter ut ad id unde aliquantulùm aberravit nostra redeat, atque desinat oratio, licet demus quod negari vix potest, *Anglos* ferè omnes in extollendô *PROTECTORE* quam longissimè aberrasse; de me tamen idem asseri ratione nullâ potest, siquidem illorum & est, & interest,

tereſt, qui *leges ſuas vel calleant, vel callere debeant,* videre quoſnam ad *ſupremos* evehant *Magiſtratus,* & quàm *legitimè*. Mihi verò qui ſim hìc *Exoticus* nequaquam iſtud incumbat, ſed tantùm *ſupremis Magiſtratibus veſtris*, *quicunque tandem illi ſint*, honorem deferre, Obedientiamquè *in civilibus*, quandiu terris in veſtris degere viſum mihi fuerit, præſtare conveniat.

Mordicùs autem aliunde teneo, accurateque defendo, quemadmodum *in Oliva mea ramô cæleſti* rationibus præter opinionem vulgi petitis altiùs expono, proboquè fuſiùs, *Nihil homines inter certius, nihil exploratius, manifeſtius eſſe nihil, quàm Reges, Imperatores, Monarchas, Supremos Principes, ſummoſquè rerum publicarum Adminiſtratores, â DEO cælitùs humano generi conceſſos, tamdiu rerum publicarum tenere gubernacula, quoad illos tandem, accidentariâ licet nobis ratione, cùm DIVINÆ ſua MAJESTATI viſum placitumquè fuerit, aliis præpoſitis amoveat.*

Quod cùm apud *Chriſtianos* omnes omninò ſit extra controverſiam, eam ob rem, & *REGEM Sereniſſimum CAROLUM primum* per *DIVINAM PROVIDENTIAM* huic nationi præpoſitum, & per eandem *PROVIDENTIAM* illi caput ab cervicibus abſciſſum, manifeſtiſſimum eſt.

Certum eſt pariter, & *Sereniſsimum REIPUBLICÆ ANGLIÆ PARLAMENTUM,* amotô per *DIVINAM PROVIDENTIAM REGE,* per eandem tùm *ſupremum Magiſtratum* obtinuiſſe, tùm illius pace dixerim, eſſe poſteà diſſolutum, ſive potius interruptum.

Conſtat ſimiliter â *DIVINA PROVIDENTIA* datum *Angliæ PROTECTOREM OLIVARIUM*, ejuſquè filium ab eâdem, *abſit verbo invidia, dictô PRINCIPATU RICHARDUM* excidiſſe.

Atque in omnium concluſionem proferam audacter, *dictum*

dictum ab *OLIVARIO dissolutum*, *interruptumve PARLAMENTUM*, eâdem *PROVIDENTIA DEI supremum ad Angliæ Magistratum*, penes quem summa rerum sit, per tam subitam in instanti revolutionem stupentibus universis, *resumptum*, *restitutum*, *restauratum esse*.

Quæ cùm stolidioribus, atque ab sensu mentis abstractis accidentaria videantur omnia, qui *brutarum animantium ad instar, quas ad pastum abjecit natura, terrena solummodò sapiant*, causasquè tantarum mutationum secundas hìc nescio quas, cum scurrili vesanâquè garrulitate, veluti primarias ignoranter accusent mortalium ineptissimi, *nunquam ad supremi rerum omnium Moderatoris DEI supernum domicilium, nunquam ad primariam tantarum vicissitudinum causam*, fontem, & originem, *PROVIDENTIAM* nimirum *DIVINAM*, in hôc *Ethnicis* deteriores, nunquam inquam sursum erigunt oculos.

Sursum igitur tandem oculorum aciem convertite *freneticis insaniores*, videte si potestis, *Talpis*, *Vespertilionibus*, *Bubonibus*, *Noctuis* in luce meridianâ cæciores, passionum squammas, quæ mentibus vestris tenebras, *Cimmeriis* obscuriores obducunt, excutite, sursum inquam attollite lumina, *DIVINAMQUE* inde *PROVIDENTIAM*, vel immediatè per se, vel mediantibus causis secundis, quibus ad propositum sibi finem utatur, *ordinantem*, *decernentem*, *statuentem*, *amoventem supremos rerum publicarum*, pro suô libitô placitôquè, *Magistratus*.

Hoc si mentis oculis intentiùs, attentiùs perspexeritis, nullô modô mihi dubitandum venit, quin *Serenissimæ* hujus *REIPUBLICÆ MAGISTRATUS* tanquam â *DIVINA PROVIDENTIA* hôc in *PARLAMENTO vobis instauratos*, *cælitusquè iterum concessos*, *redditosquè gubernatores* arbitremini, iisquè veluti nationum istarum constitutis â *DEO* rectoribus, *omni Studiô*, *Alacritate*,

...entiâ, *Obedientiâ*, *Animique submissione*; prout ... vos decet, *quantocunque tempore gerent Magistra-* ... vosmetipsos sanctè subdere velitis.

Ego verò principiis iisdem, quibus imbutus sum â puerô firmiùs adhærens, in conspectu solis istius palàm & apertè profiteor, *AUGUSTISSIMI PROCERES*, quandiu vos in *Magistratu* mequè tùm *DEUS* hâc in Regione servarit, tandiu me vobis in *Politicis*, velut ad populorum istorum regimen *subordinatis* â *DEO Ministris* ex animô submissurum.

IN OMNIBUS RESPICE FINEM.
